

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Ioannes Langivs Archiater

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOANNES LANGIVS ARCHIATER
Palatinus.



Archiatrum facit Heidelbergæ: Sophum facit ante
Lipsiæ, sed medicum Felsina doctus bonum.

M. D. LXV. R v

IOANNES LANGIVS LEOBERGAE,
celebri Silesiæ oppido, natus,
anno M. CCCCXXCV:

Magister Philosophiæ creatus Lipsiæ, anno
M. D. XIV. Petro VVirtho consobrino,
Collegij Philof. Decano existente:

Quâ in Academiâ postea & bonas literas, fre-
quenti auditorum confessu, professus: &
publicis per annos aliquot fun-
ctus muneribus:

Magnâ cum laude doctrinæ, virtutis, sapien-
tiæ, pietatis, industriæ:

Medicinæ demum studium, maiorum suorum
exemplo, amplexus:

Bononiæ Medicis honoratus clarissimis:

Pisis Hetruriæ summum Doctrinæ gratum con-
secutus, anno M. D. XXII.

Tandem Illustr. Elector. Palatinorum V. Archia-
trus, alter ceu Podalirius:

Magno & sibi, & familiæ, & patriæ fuit orna-
mento ac honori:

Monumentis ingenij sui excellentis variâ ac
rarâ cum eruditione, tum rerum omnis gene-
ris scitu dignissimarum explicatione
refertis, post se relictis quàm
plurimis:

Præsentibus carus, posteris etiam ad-
mirandus:

Obijt Heidelbergæ senex anno Sal. M;D.LXV,
Act. XXC. Iunij die XXI.

IN IOANNEM LANGIVM
Archiatrum Palatinum.

ANONYMI.

*Aspice spectat a Medici probitatis agalma:
Bisseptem cui sunt lustra peracta seni.
Archiatrum Comitum Rheni, fidusq; minister:
Slesia quem genuit, Lipsia quem erudit.*

GEORGII VVIRTHI.

*Sape Palatinos, veluti Podalirius alter,
Per mare, per terras subsequor ipse duces.
Decrepiti seruat cineres prope Neccaris vndam
Heidelbergae: pio mens pia iuncta Deo.*

IOANNIS POSTHIL.

*Hac facie spectandus eras, clarissime Langi:
Quum tibi supremum dicerem iuuenis, vale.
Nunc canus tua busta, Pater, cineresq; saluto:
Post lustra quinque redditus Nicro meo:
Officioq; tuo magna defungor in aula:
Vtinam pari cum dignitate & gloria!*

Fama

Fama tuas resonat laudes, tua scripta leguntur:
Audiūq; vates pariter, ac Medicus bonus.

PHILIPPI SPRENGERI.

Hac spectandus erat Medicus sub imagine quondā
Langius, ingenio maximus, arte potens.
Posteritas hunc ut, quem noscitur, cernere possit:
Fecit Sprengerus Pharmacopola virum.

IANI BARTHOLOMAEI.

Iane tuus codex est valdē docta supellex:
Hunc ait esse decus Bibliotheca suum.

NICOLAI REVSNERI.

Langi clare senex, venerande nepotibus ipsis,
Accipe pro lacrymis posthuma verba meis.
Te Leoni genuit, docuit te Lipsia clara:
Quae cathedram rursas dat tibi spontē suam.
Te Medicum, Medici coniunctum mente Leoni,
Felsina, Pifarum te schola docta creat.
Archiatrum tandē facit Heidelberg: medentem
Aula Palatini principis ampla colit.
Magnas haec & opes, & honores contulit amplos:
Contulit & tumultum grata deinde seni.
Corpore dum spoliat te sex post lustra decemq;
Spiritus ut celsā viuat in arce Deo.
Salue care senex: semper tua fama manebit:
Ingenij viuent & monumenta tui.